

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4962

Auteur(s) : Albérède la Mercière, femme de Guillaume Maillart [particulier]

Bénéficiaire(s) : Robert le Maçon, de Pont-de-l'Arche [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1277, mai

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Albérède la Mercière vend à maître Robert le Maçon un setier de blé de rente à Alisay.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CCXCVII, p. 303-304.

Texte établi d'après a

Noverint universi, presentes et futuri, quod ego Albereda La Merchiere, uxor Guillelmi dicti Maillart, de assensu et voluntate predicti mariti mei, qui presens erat, vendidi, concessi et omnino dimisi magistro Roberto Lathomo, de Ponte Arche, pro centum solidis turonensem, de quibus nos tenemus plenarie pro pagatis, unum sextarium bladi, valoris duodecim denariorum minus quam choisium de mercato de Ponte Arche, ad mensuram ejusdem locis, annui redditus, ad festum Sancti Michaelis ; quod sextarium bladi Matheus dictus Peindieu michi reddebat, singulis annis, ad dictum festum, de quadam masagio cum edificiis suprapositis, sito in parrochia Sancti Germani de Aliseyo apud Rouville, inter terram predicti magistri, ex utraque parte, a vico per ante, usque ad terram predicti magistri retro, et de quadam pecia terre sita apud predictum locum, inter terram predicti magistri, ex utraque parte, a semita ortorum usque ad terram Symonis du Crues et dotem Emmeline de Altaribus : tenendum, habendum et jure hereditario in perpetuum possidendum predictum sextarium bladi super locis predictis predicto magistro et ejus heredibus, libere, pacifice et quiete ab reclamatione et revocatione nostri et heredum nostrorum super hoc de cetero faciendo, omne jus, dominium, actionem, proprietatem et possessionem que et quas in dicto sextario bladi et in dictis masagiis et terra ratione ejusdem habebamus et habere poteramus, quacumque ex causa in eumdem magistrum et ejus heredes penitus transferentes aliquid inde nobis aut heredibus nostris nullatenus retinentes. Tenemur etiam nos predicti Albereda et Guillelmus et heredes nostri predicto magistro et ejus heredibus predictum sextarium bladi annui..... contra omnes garantizare et deliberare, vel alibi in propria hereditate nostra, ubicumque fueritem excambiare, salvo tamen jure capitalium dominorum. Et ut hoc firmum et..... futurum, nos predicti Albereda et Guillelmus, unanimi assensu et voluntate communi, presentes litteras sigillavimus nostrorum munimine sigillorum.

Actum anno Domini M^o CC^o LXX^o septimo, mense mayo.

Testibus hiis : Andrea Grosset ; Johanne Leblont ; Roberto Monacho, cum pluribus.